THESES
EX UTROQUE JURE
DEPROMPTÆ

QUAS SUB AUSPICIIS
ILLUSTRISS. AC REVERENDISS. PRÆSULIS

MARCI ZAGURI

EPISCOPI VICETINI
DUCIS MARCHIONIS ET COMITIS ETC. ETC.

PUBLICE PROPUGNANDAS EXPONIT

CAMILLUS PRETTO

SEMINARII VICETINI ALUMNUS

PRÆCEPTORE ET ADJUTORE

PAULO LUPATINO

IN EODEM SEMINARIO JURIS CIVILIS ET CANONICI
LECTORE.

UNICUIQUE
POST TERTIUM ARGUENDI FACULTAS SIT
MORE ACADEMICO.

VICETIÆ
EX TYPOGRAPHIA PARONI
1805.

Sicut Reges præsunt in causis sæculi, ita Sacerdotes in causis Dei. *Apud Gratianum Can. nos si incompetenter* 41. *qu.* 7.

Sicut Leges non dedignantur Sacros Canones imitari, ita et Sacrorum statuta Canonum Principum Constitutionibus adjuvantur. *Cap. I. ex. de novi oper. nunciat.*

THESES

EX UTROQUE JURE

DEPROMPTÆ

I.

Sollemne fuit apud Gentes Religionis, et Reipublicæ administrationem uni, eidemque homini committere. At apud Christianos ea duo inter se discreta duo efficiunt Regimina, Sacerdotium nempe, et Imperium, quorum alterum rebus temporalibus, alterum vero Ecclesiæ, et Religioni præest.

II.

Duas esse in hoc mundo Supremas Potestates, Ecclesiasticam, et Civilem, Sacræ Litteræ testantur.

III.

Hæc duplicis Potestatis distinctio ex Christi Salvatoris instituto nata etiam

Apostolorum usu comprobatur. Sane constat Apostolos tum singulos, tum in communi de rebus ad Religionem, et externam Ecclesiæ politiam pertinentibus regulas condidisse; quod indicat Sacerdotii proprium esse, non Imperii, Religionis, et Ecclesiæ regimen.

IV.

Eandem inter Sacerdotium, et Imperium distinctionem Ecclesiæ Patres, qui non minus Apostolicæ dignitatis, quam doctrinæ hæredes, ut ita dicam, extitere, semper proposuerunt, et inculcarunt. Prorsus magnifica est hac super re Hosii Cordubensis ad Costantium Imperatorem allocutio: *tibi Deus Imperium commisit; nobis quæ sunt Ecclesiæ concredidit. Et quemadmodum qui tuum Imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi divinæ; ita et tu cave, ne quæ sunt Ecclesiæ ad te trahens magno crimini obnoxius fias. Date, scriptum est, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, et quæ sunt Dei, Deo. Neque igitur fas est nobis in ter-*

ris. Imperium tenere, neque tu thymiamatum, et Sacrorum potestatem habes, Imperator. (a)

V.

Idipsum probe cognovit Imperator Justinianus, qui discrimen illud, ejusque divinam originem ita proposuit: *Maxima duo sunt dona hominibus a suprema collata clementia, Sacerdotium, et Imperium; et illud quidem divinis ministrans; hoc autem humanis præsidens, ac diligentiam exhibens; et ex uno, eodemque principio utraque procedentia humanam exornant vitam.* (b)

VI.

Quamvis autem Ecclesia, et Respublica ex iisdem hominibus coalescant, tamen tanquam duæ societates inter se

---

(a) Ap. Athan. ep. ad solit. vit. agent.
(b) Nov. 6.

diversæ spectandæ sunt. Non enim pugnat, ut idem corpus morale varias personas induat, perinde, ac varii sunt fines, ad quos dirigitur.

VII.

Finis societatis ecclesiasticæ est spiritualis; nempe æternæ beatitudinis adeptio.

VIII.

Finis societatis civilis est temporalis; respicit nimirum præsentis vitæ tranquillitatem.

IX.

Cum vero societatum natura talis sit, ut sine legibus consistere non possint; utramque Potestatem legum ferendarum facultate præditam esse, non est dubitandum. Hanc enim veritatem Sacræ Scripturæ apertissime declarant.

X.

Canones Ecclesiæ eo tendunt, ut fidelium mentes erigant ad spiritualia, et

compositis secundum legem divinam eorum moribus animas tandem perducant ad vitæ futuræ felicitatem.

XI.

Leges civiles totæ in eo sunt, ut per consentanea æquitati, et naturali rationi instituta publicæ civium securitati, et hujusce vitæ commodis consulant.

XII.

Fundamentum legum civilium est jus naturæ, quod per Reipublicæ moderatores et pœnis propositis imperatur, et peculiari applicatione declaratur.

XIII.

Fundamentum legum ecclesiasticarum est jus divinum, quod ab ecclesiastica Potestate vel in iis, quæ mores, fidemque respiciunt, uberius proponitur, et in dubiis explicatur, vel per exterioris disciplinæ, et rituum dispositionem ad usum deducitur.

XIV.

Potest quidem utraque Potestas multa præcipere, aut prohibere, quæ lege divina, aut naturali non præcipiuntur, aut prohibentur. Minime vero putandum est, talia mandata legi divinæ, aut naturali posse adversari. Iis debent respondere; secus enim injustitiam continerent: neque leges possunt recte appellari, quæ justæ non sunt.

XV.

Leges civiles humani ingenii, atque rationis ope a juris naturæ principiis deducuntur. Ii vero in civitatibus instituendis magnam gloriæ laudem sibi pepererunt, qui prudenti consilio, et veræ, solidæque philosophiæ adjumento peculiaribus populorum rationibus leges accommodarunt.

XVI.

Illud Ecclesiæ legibus præcipuam dignitatem supra civiles conciliat, quod Ecclesia in Christi doctrina explicanda,

eaque fidelibus proponenda, præter naturalia humanæ rationis adminicula, etiam Divinæ Revelationis oraculo adjuvatur, et ab ejus capite Christo assidue regitur, qui dixit Apostolis, eorumque successoribus: *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem*. (*a*)

XVII.

Hinc factum est, ut leges Ecclesiæ in iis, quæ ad fidem, et mores pertinent apud omnes Christianos eædem sint; dum leges civiles per singula regna variæ sunt, pro diverso populorum ingenio, diversaque regiminis ratione, quæ in variis regionibus constituta est.

XVIII.

Constat experientia homines male institutos leges etiam sanctissimas contemnere, qui vero recte instituti sunt bonis legibus libenter obtemperare. Quare præcipua Summi Imperantis cura esse

(*a*) Joan: 16.

debet, accurata legum disciplina justitiam internam, et universalem in civibus promovere, eosque in vera virtute ita instituere, ut sponte, rectique ordinis amore ducti sese gerant prout leges jubent. Atque id potissimum spectavit Justinianus, cum justitiam definivit: *constantem, et perpetuam voluntatem jus suum cuique tribuendi*. (*a*)

XIX.

Cæterum cum justitia interna in paucis inveniatur, et cum publicæ securitati satis consultum sit, si homines ita in officio contineantur, ut neminem lædant, et suum cuique tribuant, civilis societatis finis satis obtinetur, modo leges exterius observentur.

XX.

Longe alias se res habet in Ecclesia Christi. In ea sane sanctissimum finem, idest vitam æternam nunquam

(*a*) Inst. de just. et jur.

consequentur fideles, nisi doctrinam Christi, quam exterius profitentur, internis etiam, liberisque animi affectionibus prosequantur. Justorum est enim Regnum Cœlorum. Et ii solummodo in Ecclesia Dei justi appellantur, quos interioribus Sp. S. donis, Fide, Spe, Charitate Christus ipse auget.

XXI.

Verum hoc ipso, quo solis justis vitam æternam in Ecclesia promissam fatemur, improbos homines non ita cum Donatistis abjicimus, ut nullam habeant in Ecclesia partem. Sane quandiu Christi fidem externe profitentur, et eorumdem sacrorum participes sunt, malos etiam, et peccatores ad Ecclesiam pertinere propugnamus.

XXII.

Leges sive ecclesiasticæ, sive civiles non aliud sunt nisi regulæ a legitima Potestate constitutæ, quibus hominum actiones diriguntur. Quare licet earum discrimen in pluribus rebus deprehen-

datur, tamen unusquisque facile animadvertit in pluribus quoque debere eas inter se convenire.

XXIII.

Regulæ actionum humanarum vel expresse præscribuntur, vel hominum usibus inducuntur. Hinc jus ecclesiasticum, non secus, ac civile, in scriptum, et non scriptum merito dividitur.

XXIV.

Scriptum jus illud appellatur, quod expressa Legislatoris voluntate constituitur. Non scriptum est jus quoddam moribus institutum, quod pro lege suscipitur, ubi deficit lex. Illud in utroque jure constitutionis, seu legis nomine venit: hoc consuetudo nuncupatur.

XXV.

Regulæ, quæ pertinent ad jus scriptum, cum in usum deduci non possint, si ignorentur; in compertis est, leges a Potestate ecclesiastica, et ci-

vili præscriptas promulgatione indigere, qua iis innotescant, quibus imponuntur.

XXVI.

Hæc promulgatio, sive consideretur tanquam aliquid ad legis essentiam requisitum, sive ut conditio, ex qua lex vim acquirit obligandi, adeo est ex utroque jure necessaria, ut leges non habeant suam virtutem, antequam publice proponantur.

XXVII.

Facultas jubendi leges, quæ ad utramque Potestatem pertinet, est auctoritas præcipiendi, et exigendi legum observantiam.

XXVIII.

Leges igitur humanæ sive ecclesiasticæ, sive civiles a populi acceptione non pendent.

XXIX.

Quia vero finis legum non satis obtineretur, si leges infringi impune pos-

sent; idcirco qui eas violant (modo tamen vel ætate, vel alia legitima causa non excusentur) non solum pœnas legibus constitutas promerentur, verum etiam, quatenus Potestati a Deo constituæ resistunt, coram ipso Deo crimine se obstringunt.

XXX.

Hinc leges humanas sive ecclesiasticas, sive civiles in foro conscientiæ obligare defendimus.

XXXI.

Nulla promulgatione indiget consuetudo. Ad eam tamen rite inducendam plura in utroque jure requiruntur: nempe aliquis consensus illius, cujus est legem condere: temporis diuturnitas: actuum similium frequentia: denique ne consuetudo legi divinæ, aut rectæ rationi repugnet; secus enim non putaretur a Legislatore probari.

XXXII.

Consuetudinem, quæ hasce proprie-

tates habeat, vim, et auctoritatem legi parem habere, luculentissima sunt utriusque juris testimonia. Hinc inter alios effectus, quos operatur consuetudo rationi congrua, et legitime præscripta, illum quoque merito recensemus, quod legem anteriorem abrogare potest.

XXXIII.

Legum ecclesiasticarum, et civilium plures collectiones variis temporibus prodierunt. Illæ vero præ cæteris eminent, quæ juris communis nomen sortitæ sunt.

XXXIV.

Constat jus commune ecclesiasticum ex Decreto Gratiani, Decretalibus Gregorii IX., Sexto Bonifacii VIII., Clementinis, et Extravagantibus Joannis XXII., et Communibus.

XXXV.

Corpus juris civilis, opera potissi-

mum Justiniani Imperatoris in ordinem digesti, complectitur Codicem, Pandectas, Institutiones, et Novellas.

XXXVI.

Ex duplici jure duplex exurgit Jurisprudentia, quæ in legum interpretatione, earumque applicatione versatur. Cum vero jus utrumque tum ad dirigendas hominum actiones, tum ad controversias dirimendas comparatum sit, hæ duæ disciplinæ quadam veluti cognatione inter se conjunguntur ita, ut altera alterius ope indigere videatur.

XXXVII.

Profecto juxta regulas Pontificum Romanorum, et Principum auctoritate comprobatas, si quid in jure canonico desideretur, id ex civili petendum est; si vero aliqua in re jus civile deficiat, seu Religioni sit minus consentaneum, a canonico est corrigendum; et in ambiguis alterum ab altero interpretationem recipit.

XXXVIII.

Hinc ecclesiasticæ jurisprudentiæ, morumque disciplinæ scriptores et ubi de justitia, et jure disserunt, et ubi contractuum, et obligationum doctrinas persequuntur, inter alias agendi regulas eas etiam homini Christiano sæpissime proponunt, quæ per rectam rationem a jure naturæ derivatæ in legum civilium codicibus continentur.

XXXIX.

Hinc leges, quæ in jure Justinianeo usuras permittunt, quæ fovent divortia, quæ filiis nefarie procreatis negant alimenta, quæ bonorum præscriptionibus bona fide tantum inceptis patrocinantur, aliasque hujusmodi, quæ doctrinæ christianæ adversantes juris conditoribus quandoque exciderunt, eas Jurisconsulti, ipsique etiam Christiani Principes non nisi per Ecclesiæ canones correctas, atque emendatas in forum penetrare patiuntur.

XL.

Neque id invito Justiniano evenisse existimandum est. Ipse enim Imperator in suis novellis constitutionibus, et sæpius in Codice piissime profitetur, *plus studii adhibendum sibi esse circa Sacrorum Canonum, et Divinarum legum custodiam, quæ super salutem animarum definitæ sunt, quam circa leges civiles.*

XLI

Et merito Christiani Principes sacrorum Canonum statuta, et Christi Religionem tueri semper consueverunt. Etenim ad publicam securitatem nihil magis conducit, quam civium mores bene instituti; et morum perfectio haberi nequit nisi in vera Religione, in cujus puritate conservanda, atque promovenda Ecclesiæ leges versantur. Qua-

(*a*) Nov. 137., l. 23. cod. de Sacros. Eccl., et l. 42. Cod. de Ep. et Cler.

re, *felices Imperatores eos dicimus*, ut ait D. Augustinus, *si juste imperant... si suam potestatem ad Dei cultum maxime dilatandum majestatis ejus famulam faciunt*. (*a*)

(*a*) Lib. 5. de civit. Dei C. 24.

46

Disputabuntur publice Vicetiæ in Ædibus Episcopalibus Anno 1805 Mense . . . . Die . . . .